

1083.

1293.

BENGT PETERS sons Testamente och anordning om gårdarne Westerlösa och Stensäter, m. III.
A. 4.

IN Nomine sancte & indiuidue Trinitatis, Ego BENEDICTUS PETRI quondam filius Consideracionis intuitu perpendens, quod omnia que sub celo sunt ex nichilo condita sunt, & ad suam tendunt originem naturaliter vniuersa, & hoc solum de rebus transitoriis post huius vite transitum non transire dinoscitur, quod ad pietatis opera misericorditer erogatur Sciens etiam incertam fore cuiuslibet mortalium sue vocacionis horam, Igitur in nomine suprabenedicte trinitatis Sanus & incolumis, De rebus michi ab ea licet indigno largissime concessis testamentum meum condidi in hunc modum, In primis Monachis de alvastrum apud quos deliberacione diutina sepulturam eligere decreui cum parentibus meis, Curiam meam Westerlösø integraliter assigno cum omnibus attinenciis suis mobilibus & immobilibus condicionem ista interiecta quod omnis prouentus curie premissæ fideliter & integraliter collecti annuatim, sequentj die post festum Marci Ewangeliæ ad totius conuentus sollacium & recreacionem in quantum valuerint pro pitancia communiter expendantur, Et ipso die Misse & oraciones pro me & parentibus meis iam ante memoratis deuote celebrentur, Et memoratj Monachi racione dicte Curie pro debitis meis centum Marcas den. soluere teneantur, Quod si nec istarum Marcarum summa persolui poterunt debita mea vniuersa, Exequutores testamentj mei Curiam meam asby obligabunt ad cetera persoluenda. Hec autem donatio mea rata & firma tenebitur monachis supradictis si me absque liberis mori contigerit. Si autem dominus michi de liberis prouiderit. ipsam curiam meis heredibus relinquo, & Centum Marcas pro testamento meo soluentur Claustro supradicto, pro quibus eidem claustro eandem curiam meam obligo, donec hoc meum testamentum totaliter fuerit persolutum. Item omnia bona Dilecte vxoris mee Ingiburgis que me racione coniugalis contractus contingunt Si absque liberis dominus me uouerit, cessante iam omni calumpnia Heredum meorum super talium bonorum participio eidem Ingiburgi libera restituo & assigno, Item Ecclesie strengenensi confero Curiam meam Stenseter, cum omnibus suis attinenciis, Colonis, piscariis, prepositure strengenensi perpetuo assignandam, non obstante si dominus michi in liberis prouiderit, s. ne. vt in mei memoriam. ac venerabilis patris dominj anundi Episcopi pie recordacionis, ac parentum meorum septimanis singulis vna missa ibidem pro animarum salute dicatur. Super facto huiusmodi volo vt michi detur patens littera cum sigillo eiusdem Ecclesie & Capituli, quod ipsius capituli beneplacitum in hoc contineat & assensum. Si autem hanc ordinacionem iam dictum Capitulum non decre-

uerit admittendam, ipsam Curiam quam predictae Ecclesie assignauit per sororios meos petrum & byrgerum precipio distrahendam pro precio competentj & de eodem precio soluere in testamento meo XLVIII. marcas Ecclesie iam sepius memorate, De reliquo vero debita mea si qua fuerint inuenta plenius persoluantur. vel certe in vsus pauperum si omnia debita persoluta fuerint fideliter expendantur, Jtem in remissionem peccaminum meorum & aliorum pro quibus uexillum sancte crucis assumpsi redimendum, confero omnia bona mea que in hesleby & roslosø, & wismareh possideo ad subsidium terre sancte modo quo uidero melius expedire. Jtem Monialibus De askaby confero duas Marcas argentj, Jtem fratribus skeningie .II. Marcas argenti, Jtem aliis Claustribus vbicunq; in regno Svecie constitutis, confero .II. Marcas den., Et vnicujque hospitali .I. Marcam den., Jtem vnicuique Ecclesie in cuius parrochia mea bona sunt constituta confero .I. Marcam den., & sacerdotj .I. vaccam siue bouem. Siquis vero temeritatis siue malicie pretextu hoc meum infirmare presumpserit, excommunicatione dei patris omnipotentis & sanctorum omnium feriat. Et cum impiis in die iudicij percipiat porcionem. Exequutores huius testamenti mei constituo Dominum Episcopum lincopensem, Dominum th. Marscalcum dominj regis, Dominum Jo. prepositum strengenensem, Et Dominum Nicolaum legiferum verendie. vt igitur omnis ambiguitas super premissis valeat remoueri, & excludatur occasio quelibet volentibus malignarj. Sigillum Dominj B. illustris regis Swecie, & venerabilis patris L. Episcopi lincopensis, & Dominj, M, Legiferi osgothorum & Dominj th. Marskalcj, & Domini, Dax, Jahansvn, & Dominj Johannis prepositj Strengenensis, & sigillum Dominj karoli de Norre, vna cum sigillo meo duxi presentibus apponenda, Datum anno dominj. M^o, C^o C^o, XC^o III^o.

Af de uppräknade sigillen hafva aldrig mer än ett eller zne på trådar, som nu äro borta, och det sistnämnda, efter hvilket pergamentsrimsan finnes qvar, blifvit satte under brefvet.

1084.

1293.

DAGS på en resa gjorda Testamente och anordning om qvarlätne lösören och penningar.

In nomine patris & filii & spiritus sancti amen. Ego DAGHER, si in hac via me mori contigerit, meum in hunc modum condo & ordino testamentum. In primis lego fratribus predicatoribus Siktunie, vnum equum nigrum, quinque annorum. fratribus autem minoribus stockholm, vnam mar-